

**VI. CONSTITUTIO DE VALORE MONETAE LITHUANICAE IN
TERRA PODOLIAE CURRENTIS**

Sigismundus Dei gratia etc. generoso Stanislao Lanczkorunsky de Brzeszczie^a capitaneo nostro Camenecensi, fideli dilecto, gratiam regiam. Generose, fidelis dilecte.

Questi sunt hic nobis nuntii terrae Podoliae, quod moneta magni ducatus nostri Lithuaniae carius istic accipiat et in usu sit, quam in aliis terris regni nostri. Nos nolentes, ut nobilitas eiusdem terrae Podoliae et eorum subditi aliquod detrimentum ex hac ipsa moneta Lithuanica accipiant, volumus et mandamus Fidelitati Tuae, ut illam non charius nec maiori pretio accipi istic facias et admittas, quam in aliis partibus regni nostri ad praesens aestimari et accipi solet. Factura pro gratia nostra.

Datum in conventu Piotrcoviensi generali^b.

VII. LITTERAE RESTIUM

A. Litterae restium contra Thartaros praeparatae quidem, sed non publicatae^a.

Sigismundus primus Rex etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris, terras regni nostri ubique incolentibus et praesertim terram Cracouiensem et districtum Proschowiensem, de iure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus nostris dilectis gratiam regiam.

Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis ac fideles dilecti. Nemini iam incognitum esse arbitramur, qualiter hiis diebus ingens Thartarorum terras regni nostri Russiae et Lublinenses invaserit et illas damno inestimabili et cedibus affecerit, cum una congressi milites nostri, quos illic pro praesidiis, una cum Illustri duce Constantino et aliis illis proceribus, maiori quidem virtute et animo, quam ratio suae paucitatis contra host[iu]m, multitudinem suadere videbatur, et domino Deo nobis adverso existente, fracti sunt et profligati. Non dubitantes vero nos, quod immanissimus hostis ea vi existens, et rebus pro libidine sua sic actis acrius contendet suam rabiem explorare, neque in tam subito et inopinato casu aliud remedium afferri posse videntes, quam universos pro vindicanda Reipublicae salute et tanto periculo arcendo et arma concitare, motionem bellicam decrevimus, cui etiam nos ipsi non solum deesse noluimus, sed iam hinc propere, Deo bene iuvante, egredimur, personam nostram regiam tam atroci et insperate necessitati cum subditis nostris exhibitori. Quare has praesentes litteras in vim primarum, secundarum et ultimarum restium mittimus, quibus vobis omnibus et singulis omnibus districtius praecipien[tes] mandamus et volumus, ut mox visis illis, non expectatis aliis nostris, sub ammissione bonorum vestrorum arma capiatis et quilibet vestrum capiat, ad diemque sancti Bartolomei proximum [24 VIII 1519] circa villam Walawa in terra Premislien[si] sitam armati compareatis et ad nos omnino conveniatis, ut Thartarorum ipsorum impetum cum Dei auxilio ita retundere una nobiscum positis, ut inde amplius res ipsa publica nullum sentiat detrimentum, et vos laudem et gloriam in re bellica pluribus victoriis iam acquisitam, quoad fieri poterit, augere et ampliare valeatis. Et ne quispiam vestrum de hac expeditione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam suam praetendat, volumus, ut unus ad alium viciniorem praesentes litteras restium, cum illas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo repraesentet, similiter sub bonorum suorum ammissione aliter facere non ausuri.

^a W rękopisie MK₂: Brzezie. Poprawiono zgodnie z propozycją O. Balzera (CIP, t. III, nr 214, s. 400).

^b W MK₂ nie podano daty, ale nie ulega ona wątpliwości, gdyż konstytucja ta, ujęta w formę mandatu do starosty, pomieszczona została między innymi aktami z początku 1519 r. Idzie tu więc o uchwałę sejmową z 5 marca 1519 r.

^a W AT tekst ten nosi tytuł: Restes contra Tartaros scripte, sed non publicate fuerunt.